

ANN. XVIII - FASC. III


MENSE MARTIO MCMXXI

ALMA ROMA



LIBRARY OF THE VATICAN
MUSEUMS AND GALLERIES
1921
QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

prodidit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXX, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 400 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 800, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVIII

Romae, Mense Martio MCMXXXI

Fasc. III

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

GULIELMO MARCONIO

RADIOPHONICAE VATICANAEC OFFICINAE

ARTIFICI

*Magnum repertum; non hominum editum
Sed dices vix mentibus angelum,
Mundo fuisse excogitatum,
Corde stupentibus universis.*

*Vocem momento utrique polo potes
Transferre quovis, arteque simplici,
Obstante nullo, nec vetante,
Gentibus omnigenis perenne.*

*Credi antehac non possibile adstitit,
Novum hocce mirum, sole sub abditum,
Omnino et ignaris negatum,
Nec sapientibus apte apertum.*

*Post hoc recens tam mira locutio
Indicta ad omnes, UNDECIMI PII,
Qui solus in terra Magister,
Iure suo edocet Urbe gentes.*

*Quod vero gestum est, sensimus auribus
Ipsi potenter, culmine gaudii,
Silente conventu audientum
Halitibus veluti retentes.*

Atque ut beati verba recepimus,
Laudes et hymnos pectore misimus,
Primum Deo, summo viro dein,
Qui ingenio retinendus unus.

Summus Tu honos et gloria Patriae;
Christi legem diffundere abundius
In orbe quibus continenter,
Terrigenum superumque plausu.

Per Te deinceps, orbis in ambitu,
Quae adversa fiunt et quoque prospera,
Scientur, usu tam favente,
Ut nihil adveniat mage aptum.

Quid ergo stat, post tale opus inditum?
Ut vera tandem lux radiet magis
Terris, adhuc hac luce nudis,
Et tenebris necis involutis.

Haec summa laus, hoc eximium decus
Marconio; sic Te populi incident,
Tuumque nomem non peribit,
Donec in aethere sol favillet!

Mense Februario MCMXXXI.

JOSEPHUS RINALDINI, S. I.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De nominibus adiectivis eleganter omittendis.

I. - Nomina adiectiva, quibus nomina substantiva magis definimus, latine omit-tuntur:²

1º quum eorum sensus seu notio iam continetur in nomine substantivo;³ v. g.:

¹ Cfr. fasc. sup.

² Nisi tamen ad elocutionem magis expressam conserunt.

³ a) Vel in vocabulo substantive posito quod substantivi simul et adiectivi notionem continet; v. g.: As-sensus est Catoni, amicissimo meo (Cic., *Ad Attic.*, 7, 1, 8).

Omittere tempus (opportunum) (Cic., *Ad Attic.*, VII, 13, 2).

Occasio (bona) (Cic., *De Off.*, I, 40, 142).

Virtus (generosa) (Cic.).

Muliercula (= imbecilla mulier).

2º quum sunt objectiva, abstracta, ut dicimus, quae latine deficiunt nec perspicuitati obest eorum omissio;⁴ v. g.:

Exercitatio (practica) (Cic.).

b) Vel etiam in alio vocabulo quod pro substantivo et adiectivo subiicitur; v. g.: *Verissime* (= cum magna veritate) loqui (Cic., *Ad Attic.*, V, 24, 7).

¹ Horum nominum adiectivorum si notio exprimenda sit, circuitione utuntur; v. g.: Ea (i. e. bonum et malum) autem in *opinione* (= subjectiva) existimare, non in *natura posita* (= objectiva) dementis est (Cic.).

Cogitatio (abstracta) (Cic.).
Quaestus (materialis) (Cic.).
Scientia (theoretica) (Cic.).

3º generatim, quum facile subaudita intelliguntur;⁴ v. g.:

Haec metuo equidem ne sint (vana) somnia (Cic., *Ad Attic.*, VII, 23, 1),

(Simplici) verbo de sententia destitisti (Cic.).

Cum causa (bona) (Cic., *De orat.*, II, 60, 227).

Verba (vana) mihi dari facile patior (Cic., *Ad Attic.*, VII, 15, 16).

Q. Mucius nullo apparatu (inutili), pure et dilucide dixit (Cic., *De orat.*, I, 53, 229).

II. - Adiectiva numeralia, etiam partitiva, quae omissa nibil obscuritatis elocutioni afferunt,² latine non explicantur,³ nisi tamen numero peculiaris vis inest.⁴ Haec autem nomina adiectiva subaudita intelligenda sunt et logice supplenda:

1º sive quum ad ipsum nomen substantivum referuntur; v. g.:

Taleae *pedem* (unum) longae in terram infodiebantur (Caes., *De Bel. gal.*, VII, 73, 9).

(Uno) anno ante me censorem mortuus est (Cic., *De Sen.*, 6, 19).

Nunquam ingenium idem ad (duas) *res diversissimas*, parendum atque imperandum, habilius fuit (Liv., XXI, 4).

2º sive quum ad substantivum continuatum seu appositum referuntur; v. g.:

Corinthus, *urbs* (= una ex urbibus) pulcherrima atque ornatissima (Cic., *Verr.*, I, 21, 55).

Crassus, *orator* (= unus ex oratoribus) optimus (Cic.).

Plato et Aristoteles, (duo) *virи doctissimi*, de re publica disputarunt uberrime (Cic.).

3º sive quum ad alterum nominativum, quem attributum dicimus, referuntur; v. g.:

Plato et Aristoteles veterum philosophorum (duo) gravissimi atque iidem doctissimi fuerunt (Cic.).

De nominibus adiectivis eleganter addendis.

I. - Certa adiectiva, quae subaudimus, latine exprimuntur ad substantivi sensum magis definiendum; v. g.:

Quum ab reliquorum *malis* moribus dissentirem (Sall., *Cat.*, 3, 5).

Ferarum natura non est illa quidem depravata *mala* disciplina, sed natura sua (Cic., *De fin.*, II, 11, 33).

Pessimae artes, malae artes (Sall. *Ing.*, 41, 1; 85, 43; *Cat.*, 3, 4).

II. - Substantivo «tyrannus» Latini adiungere solent adiectiva «importunus, crudelis, saevus, violentus, intolerandus» et huiusmodi. Ratio est, quia, vi verbi, «tyrannus» non necessario pravam auctoritatem designat; v. g.:

Quum te tyrannum *crudelem* praebueris (Cic., *Verr.*, I, 32, 82).

Tyrannus intolerandus (Cic., *Vat.*, 9).
Tyrannus teter et crudelis (Cic., *Phil.*, 13, 8).

III. - Ad unam eamdemque notionem vividius exprimendam, Latini duo aut etiam plura adiectiva¹ non raro usurpant; v. g.:

Extremus et ultimus (Caes., *De bel. civ.*, I, 5).

Dubius et incertus (Cic., *De orat.*, I, 20, 92).

Ignarus et imprudens tantorum scelerum et malorum (Cic.).

Ab his rebus *vacua* atque *nuda* est (Cic.).

Erat vultu *hilari* atque *laeto* (Cic.).
S. Leonardi in *Helvetia*.

J. Iss.

DE IULIO FIRMICO MATERNO¹

Ardens hic christiana veritatis assertor, stylo pugnaci atque bellatorio, idolorum cultum pene deiectum, Constantino imperante aggressus est. In Sicilia insula ortum habuit, natalisque insulae ignitam vim in suis scriptis retulit. Tempora quibus vixit per coniecturam iudicamus; nam de eo usque ad annum MDLXII post Chr. n. prorsus ignoto, nullam certam notitiam invenimus. Sed eum Constantini temporibus vixisse ex eo deducimus, quod librum, quem *Mathematicon* inscripsit, post solis defectum Optatio et Paulino coss. habitum, seu, anno christiano CCCXXXIV, in lucem edidit. Liber alter, seu, *De errore profanarum religionum* CCCXLIII inter et CCCI annum post Chr. n. editus est. Non ignoramus esse nonnullos, qui huic libro

¹ Haec adiectiva possunt esse participia adiective posita; v. g.: *Reconditus et abstrusus* (Cic., *Brut.*, 11, 44).

¹ Migne, XII, pag. 972 et seqq.

¹ Deut. XIII, 6 et seqq.

annum CCCXLVIII assignant, quum Romani ad Singaram a Rege Sapore superatis sunt; sed, ut videbimus infra, hanc cladem nondum accidisse ante editum librum nos credere oportet. Ex *fastis consularibus* accepimus, Maternum consulari dignitate ornatum fuisse eumque inter cives excelluisse, ut ex illius familiaritate cum imperatoribus Constante et Constantio intelligi potest. Liber enim *de errore profanarum religionum* donat, dedicat ipsis imperatoribus et ad eos saepius provocat, quum de turpissimis ritibus indignatus ad idolorum reliquias delendas eos impellit. Familiaribus verbis utitur, quorum haec sententia: « Vobis tamen sanctissimis Imperatoribus ius est officiumque tantum nefas ulciscendi; nam Summi Dei lege vobis imperatur in divinis Scripturis quae ita Dei mentem significant gravissimique verbis iubent: "Si tibi voluerit persuadere frater tuus... eamus et serviamus Diis alienis, quos ignoras tu et patres tui... non acquiescas ei nec audias, neque parcat ei oculus tuus ut miserearis et occules eum, sed statim interficies; sit primum manus tua super eum et postea omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur ».¹

« Confestim agite et illud quod Deus imperat explete. Auspicia vestra praemiis etiam maioribus a Deo complebuntur, nam cum Fide in animis vestris insita, gratiam Dei in vobismetipsis auctam experti estis. In periculis nunquam Deus suum auxilium vobis negavit, per vos hostium phalanges fusae ac fugatae sunt et rebellantium arma ante oculos vestros cecidere. » Ex quibus verbis videre est cladem ad Singaram nondum accidisse; nam anno CCCLIV post Chr. n. Constantinus contra Persas arma tulit eosque superavit: si vero anno CCCXLVIII romanae legiones ad Singaram superatae fuerunt, ante hunc

eudem annum librum de quo agimus editum fuisse iudicabimus; id est probabiliter non multo post annum CCCXLIII, quum primo romana arma prosperum exitum habuerunt.


De profanarum religionum liber in suo genere singularis, unus exstat quem antiquitas nobis tradidit: usque ad annum MDLXII ignotus, studio et opere Matthaei Flacci Illirici repertus, in lucem venit;² sed clarius postea a Joanne Michaële Hertz² anno MDCCCVIII theologica disceptatione ad lauream consequendam, posteriorum studio atque admirationi traditus est.

Ex verbis, quibus noster utitur in repellendo paganorum errore, facile deprehenderis eum in christiana fide institutum fuisse atque aliunde notitiam de profanis religionibus sumpsisse. Argumenta non solum de suo penu, sed etiam ex Clementis Alexandrini *Protreptico*; ex Minucii Felicis *Octavio*; ex Arnobii *Contra gentes*; ex Lactantio; ex Cypriano large hausisse patet. Totus liber dividitur in partes duas, quarum prima, christianam fidem ac fidelium mores contra paganos defendit; altera vero parte paganorum mores ac religiones denuntiat, adgreditur atque evertit. Ex scriptis, noster pius ac timoratus vir deprehenditur, in scripturis sacris atque theologia sacra doctus et exultus.

Liber qui *Mathematicon* inscribitur, nostro tribuendus esse non videtur. Alius Maternus fortasse in vivis fuit, vel alius scriptoris liber, nobis ignoti, nostro Materno addictus est. In eo enim facile colligi potest, illum sermonem ac stylum Constantini temporibus adscribi non posse nec deberi; eo enim tempore latinus sermo

¹ MATTHAEUS FLACCUS ILLIRICUS; Argentorati MDLXII ex codice Mindae, Westphaliae reperto.

² DE IULIO FIRMINO MATERNO eiusque in primis *De errore profanarum religionum* libello. Dissertatio - Havniae, 1817.



non inelegans, non neglectus vigebat. Ex *Mathematicon* nullus eloquentiae lepos effulget sermoque eius Gothorum temporibus rectius adscribi potest.

Exempla sunt adeo perspicua, ut nulla dubitatio locum habeat. Ita reperies: *Cabalarius pro eques; comptus pro computatio; parviter pro per partes; intimare pro significare*, et plurima id generis.

Dolendum autem quod Firmicus, ut plerique nostrae antiquitatis Patres, in theologicis scholis prorsus ignoretur, votumque facimus ut in studiorum reformatione abhinc plurimos menses nunciata, huic damno salutare remedium afferatur: neque immerito, nam studio et voluntate excellentissimi viri E. Rufini, S. Congregationis studiorum secretario, vota nostra expleri posse fiduciam adepti sumus.

ALEXANDER AURELJ.

DE IAPONIORUM DIIS

Non sine animi delectatione in ALMA ROMA legimus quae Avenarius recens de initis et de progressu rei Catholicae inter gentes Iaponiae scripsit; non abs re, puto, nonnulla, quasi ad appendicem, addere, de Iaponiorum diis; nonnulla, inquam, nam si agmen deorum, qui Iaponium olympum incolunt recensere vellem, facilius, puto, sidereum multitudinem recollerem!... Videntur tamen temporibus antiquissimis Iaponii quoque, ut plerique ceterorum populi, solem deum adorasse; est enim adhuc suprema ipsis dea, quae diei preest, quamque suavissime *Amaterasu* appellant.

Haud tamen illa prima deorum in orbe apparuit. Iam enim creatores dii telluri formam vitamque dederant, supernatanti tenebris, veluti olei fluctus. Hosce inter deos *Isanaghi* quidam eiusque soror *Isa-*

nami mirandas Iaponiorum insulas genuerant. Iamque fremeant coruscabantque ventorum, camporum, montium aquarumque dii, quum solis dea laevo ex Izanagi oculo repente profluit, quum dextera ex luce deus lunae erumperet. Amaterasu itaque illi munus contigit caelum terraque illustrare; eius frater geminus, contra, infinitum prope maris regnum adeptus est.

At hic deus misellus brevi captus veluti mente apparuit, laboris impatiens, irae facilis, animo et mente inaequalis: aquarum terraque regna ineptis motibus conturbabat, dieque nocteque veluti furiis urgentibus ululabat ad caelum. Hac rabie potuit plures homines immatura nece evorare, ita ut pater eius Izanaghius, ira vehementissima percitus, in profundissimas sui regni loveas filium concluserit, quem oculi pretio sibi emerat.

Praeter haec tamen creationis numina, plurima Iaponii habent, quae nonnisi atavi eorum censemur esse, relati inter divos. Quot signa quotve monumenta aut statuae per plateas nostras perque forae emineant enumerabis citius, quam Iaponiorum nomina deorum!

Quisque enim civis, quisque fistularum aut crepidarum fabrefactor probabilem sibi post mortem credit apotheosim; nam post mortem quoque honores et tituli virorum memoriae tribuuntur; et imperiadiaria persaepe tradunt fortissimi alicuius militis diis Manibus altius militiae munus esse attributum, vel Imperatoris decreto illustrem quemdam virum vita functum inter imperatoria aulae assessores fuisse adscriptum.

Nec raro accidit ut viro ante mortem numinum honores decernantur. Agricola, qui suum oppidum ab aquarum inundanti rabie servavit incolumem, non raro vidit sacellum sibi positum et aram; quamquam non eius ibi personam adoraturi cives accedunt, sed spiritum, quo elatus agricola ille optimum facinus patravit.

Eam ob rem milites opificesque, pauperes et optimates, omnes denique qui apud cives suos meruerint, aequum ius habent ut sedes templi tandem aliquando descendant; ita viventium orbem flamina mortuorum regunt, vitamque veluti cum iis communem vivunt, eumdemque aërem spirant, eosdem cibos manducant, suique in honorem condita carmina audiunt. Hac de causa foemina quaedam saltatrix quotidie sub vesperam pulcherrimas vestes induit viri coram sepulcro choreas lectissimas solita ducere narratur. *Kami* deos omnes vocant, quorum sane in contubernio vigilant atque dormiunt, quietem atque cibos sumunt, vitam ad unguem vivunt. Sed *kami* ipsae res — o mirum! — fieri possunt.

Nec tamen tot inter divos avarum quemdam videbis aut avidum. Plerumque enim eorum tempa rudiora sunt: casae conduntur stramine paleisque, ibique sedent dii hominum vota suscepturi. Placentae offeruntur, cupediniae res pomaque dulcissima, quae quum sacerdos mundata Deo obtulerit, ipse, gratias agens, manducat.

Stant super altare numinis signa: speculum virgaeque, quibus *gohei* nomen, unde carthaceae teniae variis coloribus pendent.

Traditur enim temporibus antiquissimis solis dea Amaterasu in specu irae causa secessisse orbemque reliquise tenebris involutum; reliquos deos autem, tenebrarum plane impatientes, omnem incassum operam tentasse, ut eam ex solidudine revocarent. Tandem, oblato speculo, vicit muliebris vanitas, statimque ad illustrandum orbem virgo rediit. Huius redditus signa ubique igitur per tempa colludent.

Plura adhuc de Iaponiorum religione dici possunt; satis vero ducimus haec, licet exteriora, attigisse, ut pateat quam ruidis mens sit populo, cuius contra vires et ingenium tantum culmen attigerunt. X.

NAZARENUS

*Arvis amoenis quae sacra flumina
Iordanis augent, personat auribus
Lugentium vox, quam remittit
Flebilis aura manens doloris.*

*Et nunc superne pallida Delia
Perlustrat agros atque sacri lacus
Undas suaves iam relictas;
Decidit in Lybanum virentem.*

*Interque flentes Ipse dolens eis
Et moestus educit faciem decus
Caeli, serenum perbenignam,
Quae trahit ora hominumque
[corda].*

*« Quos angit acris supliciti dolor,
Qui incedit altus nunc lacrimis novis
Aut frendit excussus tremore,
Huc veniat, manibus levabo ».*

*Iesus projecto pro miseris gemit
Cunctis, acerbe moestitia gravis
Divina mens gnatis levamen,
Atque gemit lacrimis daturus.*

*Et melle Hymetti dulcius eloquens,
Virtus profundo pectoris effluit
Vocis, supremi sensum amoris
Cordibus effugium ferentis.*

*In monte, fuso Golgotha sanguine,
Is tum precatus condoluit gemens
Servis reiectis vi dolorum;
Impia, de Cruce, vincla solvit.*

Firmi.

*Per grata currens litora Gensaret
Dulci trahebat carmine parvulos,
Visuque reddebat beatos,
Voce lavans lacrimas obortas.*

*Coenaque praeceps aethera permeat
Divini amoris flammeus impetus:
Hinc et pusilli mox refoti
Egregiis dapibus virescunt.*

*Iesu stupentes caelicolae vident
Actus supremos; astra micantia
Et sol coruscans dant colores:
Cuncta fremunt charitum fa-[vore].*

*Phoebusque in undas oceanai cadit
Miratus orbis laetitiam novam
Qua vis redemptis est levandi
Pectora criminibus reversa.*

*Lucem pluebat Cinthia desuper,
Iam iam cruoris sed maculis nota,
Monti scelesto, quo frementes
Turba, Dei genitum fatentur.*

*Crux illa quae visa indecor omnibus,
Signum salutis, fulgida sidera,
Mundo renidens lux honoris,
Nubila blanda dabit precanti.*

*Et iam silebant omnia, de Poli
Signo supremo, luna micat vaga:
At Virgo Mater stat redemptrix
Pallida sed faciem refixa.*

SERAPHINUS ALESSANDRINI.

COLLOQUIA LATINA

Amicus peregre reversus.¹

HILARIUS. – Salvus sis, Bonifaci.
BONIFACIUS. – Salvus sis tu quoque. Audistin, familiarem nostrum Benevenutum heri in urbem advenisse peregre?

HIL. – Non nihil inaudiveram. Salvum illum revertisse sane quam gaudeo!

BONIF. – Verum illi iure succenso, non divertisse amicum ad me. In quo pernotavat hospitio?

HIL. – In hospitio, credo, ad signum Minervae.

BONIF. – Conveniamus hominem et inde ad nos deducamus.

HIL. – Quinimo, videor illum ex adverso videre properantem ad nos.

BONIF. – Certe is ipse est: occurramus. – Gratulor tibi adventum, Benevenute.

BENEVENUTUS. – Habeo gratiam, Bonifaci et Hilari: vicissim laetor, quod offendiderim vos incolumes.

HIL. – Offendisti quidem, Benevenute, nec levi offensiuncula!

BENEV. – Quid insinuas offensiunculae? Nusquam apud vos offendi, quod sciam.

BONIF. – Immo vero gravissime: cur ad aedes meas non divertisti heri vesperi?

BENEV. – Quum urbem intrarem, iam alta nox erat; timui ne nimis tibi molestus essem.

BONIF. – Nunquam inopinato opprimunt me hospites.

BENEV. – Hospitalē virum te semper iudicavi: apte tibi nomen Bonifacio.

BONIF. – Bene amicis facere pro tenuitate mea studeo.

HIL. – Imo haud ita pridem promum – condum adscivit ad rem sibi novum.

¹ Ex A. VAN TORRE dialogis familiaribus. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

¹ Cfr. fasc. sup. mens Ianuarii.

BENEV. – Aveo virum cognoscere.
HIL. – Iam iam ascendet a cella subterranea... Ecce ipsum: nomen vis viri cognoscere?

BENEV. – Pervelim.

HIL. – Ipsū interroga.

BENEV. – Quod tibi nomen est, bone vir?

IOANNES. – Vocor Ioannes Petrus.

BENEV. – Ioannes an Petrus?

BONIF. – Quod familiae nostrae et hospitibus bene verterit, eum elegi... quasi duorum partes ageret.

HIL. – Utique sedulum, frugi nactus es, nec illiberalis.

BONIF. – Quam id verum sit vos docebit haec vespera. Age, Ioannes Petre, per necessario huic nostro, de via hesterna adiuc fesso, itemque Hilario, coenam apparabis mox opiparam.

IOANNES. – Et merendam iam nunc aderam.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecarta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 350. – A quibus morbis ad quales transitus fiat investigari oportet (HIPPOCRAT., Lib. de morbis). Transitus fit in his: ex pleurite in febrim ardentem, ex phrenite in peripneumoniam; ad dysenteriam tenesmus transit, et a dysenteria lienteria; ex lienteria in aquam inter cutem transitus fit; ex pituita alba in aquam inter cutem; ex pleurite et peripneumonia in pectoris suppurationem: si rigor corripuerit, ardor igneus supervenit. Nervus dissectus convulsionem facit, neque coalescit et fortiter inflammatur. Si sauciatum cerebrum fuerit, febrim necesse est superven-

nire, et bilis vomitum, et aliquam corporis partem siderat fieri, ac perire.

§ 351. – Febris ardens desinit in pulmoniam frequentissime. Phrenitis, pleuritis, et pulmonia eodem modo curandae (HIPPOCRAT., Lib. de morbis).

§ 352. – Iudicari in morbis est, quum morbi augescunt, aut marcescunt, aut in alium morbum transeunt, aut desinunt (HIPPOCRAT., Lib. de affectionib., n. 8).

§ 353. – Melancholia mutatur in epilepsiam, et contra (HIPPOCRAT., Lib. 6. Epid., sect. 7).

§ 354. – Dysenteria male curata convertitur in tertianas, varicem, crura, coxam (HIPPOCRAT.).

§ 355. – Podagra mutatur in dysenteriam et alias internas eliquationes, per quas sanatur (Idem).

§ 356. – Dysenteria a variis magnis morbis liberat. Colici et dysenterici non raro fiunt arthritici.

§ 357. – Dysenteria, si intempestive sistatur, facit abscessum ad viscera, vel articulos; cruenta ad viscera; biliosa ad articulos: quae conversio certa est et evidens (HIPPOCRAT.). Dysenteriam bis mutatam vidit BAGLIVUS in ulcera pedum et manuum foeda, semel in quartanam diuturnam. Dysenteria desinit in volvulum (ex observatione BAGLIVI, Romae). Dysenteria biliosa intempestive sanata desinit in abscessum ad articulos. In fine pulmoniorum et aliorum quamplurimorum pectoris malorum, comatosos videbis affectos.

§ 358. – Vomitus diarrhoeam sistit.

§ 359. – Gravis est omnis hydrops, gravissimus tamen qui alteri morbo, potissimum quartanae omnium vetustissimae succedit.

§ 360. – Quartana mutatur in rheumatismum, scabiem et foeda ulcera.

§ 361. – Quae iuvant pectori, iuvant renibus, iuxta observata a BAGLIVO.

§ 362. – Febres acutae ex aurium dolore sunt lethales.

§ 363. – Quartana sanat epilepsiam, febris convolutionem, vel etiam catarrhum, asthma, etc. Sic etiam ophtalmiam diarrhoeam, lienteriam ructus acidus, pleuritis pulmoniam, et phrenitis letargum.

§ 364. – Omnis accessio gravis mali ad grave malum lethale est.

§ 365. – Icterus frequentissime mutatur in tympanitidem. Tartareae et calculosae bilis concretiones, affectionesque in suis organis tympaniticae sunt, ut fere decies observavit BAGLIVUS.

§ 366. – Quae per sympathiam accidunt, omniaque epigenomena morbum primigenium omnino non solvunt.

§ 367. – Panaritium index pruritus cutis et futurae scabiei.

§ 368. – Saepe febres longas intermitentes, per spirituosa et volatilia remedia, in continuas mutare conatus fuit BAGLIVUS, ad hoc ut continuitate celerius refermentescat, et digeratur peccans materies.

§ 369. – Observatum refert BAGLIVUS aneurismatis latera, procedentibus temporibus, ossea et fere cartilaginea evasisse, et aegrum convaluisse. Ergo natura aliquo saltem modo aneurismata sanat.

§ 370. – Quando incidimus in morbos, vel omnino incurabiles, vel cognitu curatuque difficiles, nihil magis curandum, quam ut a nimia remediorum, vel inutilium, vel minus proficiorum copia abstineamus.

§ 371. – In morbis obscuris medicus indicationem curativam, ex levi quolibet signo, aut iudicium a morbo prodeunte arripiet. Curandi veram rationem colligere debet ex occasionibus, quae aegrotum impulerunt in morbum.

§ 372. – Multi mentis abstractionem molestissime ferunt, caput caloribus repletur, labefactatae digestionis dama sentiunt; deinde et alias morbos, qui a chylo male digesto praveque sanguefacto proveniunt. Qui hoc cognoverit, cognoverit veram radicem malorum mesenterii, hypo-

chondriorum, dentium, foetoris oris, saporum linguae depravatorum, etc.

§ 373. – Apparatus in primis viis laesurumque digestionum indicia monstrat cum saopre depravato, ut plurimum amaro, vel ingrato, inappetentia, affectiones circa hypochondria, potissimum aliquot horis post pastum, digestione pene peracta.

§ 374. – Animadvertes in praxi, aliquos aegros fluxionibus et diuturnis morbis obnoxios, tempore quadragesimali, convalescere; paschate iterum languescere ob usum carnium. Observabis etiam quosdam morbos ab absoto usu caulinum, leguminum, olerumque, piscium, aliorumque ciborum huiusmodi evanescere, cibis vero boni succi exacerbari et crescere.

§ 375. – Nihil magis confert asthmaticis, quam debita equitatio, et mora in aëre rusticano. Aër montanus, campestris et marinus iuvant. Varius tamen debet esse pro varietate asthmatis et temperamenti aegri. Nonnullis montanus, aliis campestris conductit, etc.

§ 376. – Febribus mesentericis pueri, item opipare viventes obnoxii sunt. Curantur fomentis, balneationibus, repetitis purgationibus, et demum, educta omni caco-chylia, sero lactis cichoreato. Usu vero corticis peruviani desinunt in hecticam. Iuvat potius herbis stomachicis, leniter amaris et aperientibus curationem inchoare, quae cacoxyliam solvere, movere ac digerere valent; sicque praeparatam singulis diebus apozemate leniter purgante, clysteribus repetitis, fomentationibus ventris ad exitum quam celeriter sollicitare. At si aut testacea, aut chinchinum dederis, tria expectato: aut inflammationem, aut lentam ac diuturnam febrim, aut mortem. Chinchina adhiberi potest in fine morbi, corpore iam purgato, item scopo roborante.

§ 377. – Salis ammoniaci cum cortice peruviano connubium infallibile febrifugum a BAGLIVO est escogitatum et exper-

tum. At si ipsum fallat, hoc remedium certe non fallet aliud ex floribus chamomillae peculiariter paratum. Vocat id arcanum maximum ad febres intermittentes, quod nunquam fallit, estque princeps omnium febrisfugorum. Eodem quartanas profligavit.

§ 378. – Negotiosis hominibus et studio deditis, singulis diebus debita hilaritas, animorumque laxitus est concedenda.

§ 379. – De usu et abusu *diluentium* et *oleosorum* parca quaedam, sed bene notanda BAGLIVUS scripsit; atque oleosis et aqueis solida laxari, et flavescente, fluidorumque cursum tardiorem reddi. Hinc esse apoplexias, hinc obitus repentinus, magis hodie, quam olim Romae frequentes. Vires ventriculi his prosternuntur. Stomacho prius prospice, etc.

§ 380. – Ea pars, cui arteria aneurismate laborans respondet ac prospicit, frequenter formicatione, torpore, impotentia ad motum, ac demum paralysi laborat, non alia de causa, nisi ob impedimentum liberum sanguinis circuitum per eam, ob suppositum arteriae aneurisma. Adsunt etiam cordis palpitatio, vertigines, frequentes syncopes, spirandi difficultates, inaequalitas pulsus, etc., hemiplegia, tumor pedum oedematosus, respiratio impedita, tussis, etc.

§ 381. – Pythagoreorum balneum ex ligno cedrino, pro retardanda senectute, leniendisque artuum morbis adhibitum, et odorosa cedrina temperatum, incredibile quantum arriserit BAGLIVO.

§ 382. – Vitium solidorum deprehenditur praecipue in diuturnis intermittentibus, ubi crudus primarum viarum apparatus adest, laxusque intestinorum tonus. Iuvant amara, lixivo-alcalina chalybeata, etc.

(Ad proximum numerum).

I. FAM.

ROMA SACRA

SS. D. N. Pii Pp. XI litterae encycliche de Matrimonio christiano.¹

Postrema epistolae encycliche pars est de remediis, quibus perniciosissimi quos recentuit abusus tollantur et debita matrimonio reverentia ubique restituatur.

Igitur ad rectum ordinem in re coniugali restituendum, oportet in primis ut omnes divinam de matrimonio rationem contemplentur ad eamque se conformare studeant.

Verum, quum huic studio indomita pascitum concupiscentiae vis obsistat, quae sane potissima est causa cur contra sanctas matrimoniis leges peccetur, quumque homo cupiditates suas sibi subditas habere non possit, nisi prius se subiciat Deo, hoc primum curandum erit secundum ordinem divinitus statutum, nempe ut eos, qui se sacro coniugii vinculo nectunt, intima et germana pervadat toto erga Deum pietas, quae universam eorum vitam informet, mentem et voluntatem summa erga Dei Maiestatem impleat reverentia.

Rectissime igitur et ad absolutissimam Christiani sensus normam faciunt illi animarum Pastores qui coniuges, ne in matrimonio a Dei lege desciscant, in primis ad pietatis et religionis exercitia hortantur, ut Deo se totos tradant, eius auxilium assidue implorent, Sacra menta frequentent, piam semper et in omnibus devotam erga Deum voluntatem fovent atque servent.

Falluntur vero vehementer qui, posthabitis aut neglectis his, quae naturam excedunt, rationibus, naturalium scientiarum usu et inventis (biologiae scilicet, scientiae transmissionis hereditariae, aliarumque id genus) homines inducere posse putant, ut carnis desideriis frenos inicient. Quae non ita edificantur, perinde ac si res naturales, quae

inhonestae non sint, parvi sint facienda; unus est enim auctor et naturae et gratiae, Deus, qui utriusque ordinis bona in usum et utilitatem hominum contulit. Iuvari igitur possunt et debent fideles naturalibus quoque artibus; sed errant qui has sufficere opinentur ad foederis nuptialis castitatem stabiliendam, aut iis maiorem vim inesse putent, quam gratiae supernaturalis auxilio.

Haec autem coniugii et morum ad divinas de matrimonio leges conformatio, sine qua eius instauratio efficax esse non potest, postulat ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore quaenam sint eiusmodi leges dignosci possit. At nemo non videt, quot fallaciis aditus aperiretur et quanti errores admiserentur veritati, si res singulis relinquatur solo rationis lumine exploranda, aut si privata veritatis revelatae interpretatione investigaretur. Quod quidem si in multis aliis ordinis moralis veritatibus locum habet, id tamen potissimum in his, quae ad coniugium pertinent, attendi debet, ubi voluptatis libido irrumperet in fragilem humani generis naturam eamque decipere et corrumpere facile possit; idque eo magis, quod ad legis divinae observationem, ardua, interdum, eademque diu coniugibus experiunda sunt, quibus, ut rerum usu docemur, debilis homo quasi totidem utitur argumentis, ut a lege divina servanda sese eximat.

Pietati vero erga Deum eique obsequendi studio sincera atque humilis erga Ecclesiam oboedientia adiungatur oportet. Ecclesiam enim constituit ipse Christus Dominus magistrum veritatis, in iis etiam quae ad mores pertinent regendos ordinandosque, etsi in his multa humanae rationi per se impervia non sunt.

Quae quidem oboedientia praestanda est non solum sollemnioribus Ecclesiae definitiōibus, verum etiam, servato modo, ceteris Constitutionibus et Decretis, quibus opiniones aliquae ut periculosae aut pravae proscribuntur et condemnantur. Quocirca christificantes caveant in his etiam, quae hodie de

¹ Cir. fasc. sup.

matrimonio circumferuntur, quaestionibus, ne sua se iudicio nimis committant neve falsa rationis humanae libertate, seu « autonomia » quam vocant, allici se sinant. Alienissimum enim est ab omni veri nominis christiano, suo ingenio ita superbe fidere, ut iis solum, quae ipse ex interioribus rerum visceribus cognoverit, assentiri velit, et Ecclesiam, ad omnes gentes docendas regendasque a Deo missam, rerum et adiuncitorum recentium minus gnaram existimare, vel etiam iis tantum, quae per sollempniores quas diximus definitiones ea iusserit, assensum et oboedientiam praestare, perinde ac si opinari prudenter liceat cetera eius decreta aut falso laborare aut veritatis honestatisque causā niti non satis. Est proprium, contra, veri omnis christifidelis, sive doctus hic est sive indoctus, in omnibus quae ad fidem et mores pertinent se regi et duci sinere a Sancta Dei Ecclesia, per eius Supremum Pastorem Romanum Pontificem, qui regitur ipse a Iesu Christo Domino Nostro.

Quum autem omnia ad Dei legem et mentem reducenda sint, ut in universum et perpetuo matrimonii instauratio peragatur, summi sane momenti est, fideles bene de matrimonio edoceri: verbo et scripto, non semel nec leviter, sed saepe et solide, claris gravibusque argumentis, ut eiusmodi veritates intellectum percellant animumque permovereant.

Profecto, si hodierni matrimonii eversores toti in eo sunt, ut sermonibus, scriptis, libris et libellis, aliisque innumeris modis mentes pervertant, animos corrumpant, coniugalem castimoniam ludibrio dent, turpissima quaeque vitia laudibus efferant, multo magis curandum est ut ipsi Episcopi et per sacerdotes atque adeo per apte electos laicos *Actionis Catholicae* tantopere exoptatae et commendatae, in apostolatus hierarchici auxilium vocatos, omni qua par est via errori opponant veritatem, turpi vitio splendorem castitatis, cupiditatum servituti libertatem filiorum Dei, iniquae divortiorum facilitati perennitatem genuinae in matrimonio caritatis et ad mor-

tem usque inviolatum datae fidei sacramentum.

Haec salubris de matrimonio christiano instructio ac religiosa disciplina ab exaggerata illa institutione physiologica longe distabit, qua, his nostris temporibus, nonnulli, qui se coniugalis vitae emendatores iactant, servire coniugibus contendunt, plurima verba de physiologicis his rebus faciendo, quibus tamen ars potius discitur callide peccandi quam virtus caste vivendi.

Verum, vel optima per Ecclesiam institutio sola non sufficit, ut matrimonii ad legem Dei conformatio rursus habeatur; accedit oportet ex parte eorum firmissima voluntas sanctas Dei et naturae de matrimonio leges servandi.

Magnopere autem ipsos, ut hanc firmam voluntatem concipient, retineant atque executioni mandent, iuvabit frequens sui status consideratio atque operosa recepti Sacramenti memoria. Verum, ut huius Sacramenti gratia vim suam totam exserat, coniugum opera, accedere debet, eaque in hoc esse, ut, quantum contentione possunt, in officiis impletis suis studiose elaborent.

Sed haec omnia, magnam partem a debita coniugum pendent tam remota quam proxima ad matrimonium praeparatione. Illud enim negari non potest, felicis coniugii firmum fundamentum, et infelicitis ruinam, iam pueritiae et iuuentutis tempore in puerorum puellarumque animis instrui acponi. Nam qui ante coniugium in omnibus seipso et sua quaesiere, qui suis cupiditatibus indulgebant, timendum est, ne idem in matrimonio tales futuri sint quales ante matrimonium fuerint; item id tandem metere debeant quod seminaverint intra domesticos nimirum parietes tristitiam, luctum, despectum mutuum, rixas, animi simultates, vitae communis taedium; neve, quod maximum est, seipso cum suis indomitis cupiditatibus inveniant.

Bene igitur animati parati, sponsi ad statum coniugii ineundum accedant, ut possint ea qua par est ope se mutuo iuvare in adversis vitae vicibus subeundis, multoque

magis in aeterna salute procuranda et in interior homine ad plenitudinem aetatis Christi conformando. Id etiam eo conferet, ut ipsi dilectae suboli tales revera sese praebant quales Deus voluit parentes praestare se proli: ita videlicet ut pater vere pater sit, mater vera sit mater; per quorum pium amorem assiduasque curas, domestica sedes, etiam in magna rerum inopia mediaque in hac lacrimarum valle, evadat liberis quoddam illius iucundi paradisi vestigium, in quo primos homines Creator generis humani collocavit. Hinc etiam sequetur ut filios facilius efficiant perfectos homines perfectosque christianos, eos genuino Ecclesiae Catholicae sensu imbuant, iisdemque nobilem illam erga patriam caritatem iniiciant, ad quam pietatis gratique animi causā tenemur.

Ad proximam vero boni matrimonii præparationem maximopere pertinet eligendi coniugis studium; in hac vero deliberatione in primis rationem habeant Dei veraeque Christi religionis, deinde sui ipsius, alterius sponsi, futurae proli bono consulant itemque societatis humanae et civilis, quae ex connubio tamquam ex suo fonte oritur. Petant sedulo divinum auxilium, ut eligant secundum christianam prudentiam, minime vero caeco et indomito cupiditatis impetu neque solo lucri desiderio aliove minus nobili impulsu ducti, sed vero rectoque amore et sincero erga futurum coniugem affectu; praeterea eos fines in matrimonio quaerant propter quos illud est a Deo constitutum. Neque omittant denique de eligendo altero coniuge prudens parentum consilium exquirere, illudque haud parvi faciant, ut, eorum matuore humanarum rerum cognitione et usu, perniciosum hac in re errorem praecaveant et divinam quarti mandati benedictionem, matrimonium inituri, copiosius assequantur. Et quoniam non raro perfecta mandatorum Dei observatio et coniugii honestas graves inde patientur difficultates, quod coniuges rei familiaris angustiis et magna bonorum temporalium penuria premuntur, eorum necessitatibus, me-

liore qua fieri potest ratione, subveniendum profecto est.

Atque in primis est illud omni contentione enitendum ut, id quod iam sapientissime Leo PP. XIII decreverat, in Societate civili rationes oeconomicae et sociales ita consti: tuantur, ut omnes patres familiarium sibi, uxori, filiis pro dignitate et loco alendis necessaria mereri ac lucrari possint. Curandum tamen est, ut vel ipsi coniuges, idque iam diu ante matrimonium ineant, futurae incomoda necessitatesque vitae prævertere, aut saltē minuere studeant, et quomodo id efficaci simul et honesto modo facere possint, a peritis edoceantur. Providendum etiam ut, si sibi ipsi unis non sufficiunt, coniuncta similiū opera conditisque privatis aut publicis sodaliciis, vitae necessitatibus succurrant. Quando vero haec, quae diximus, familiae, præsertim si grandior aut minus valeat, sumptus aequare non possunt, amor proximi christianus requirit omnino, ut ea quae desunt indigentibus christiana compenset caritas, ut divites præcipue tenuioribus opitulentur, neve qui superflua habent bona in vanos sumptus impendant aut prorsus dissipent, sed in spitandam vitam et valetudinem eorum convertant, qui etiam necessarii carent. Quod si privata subsidia satis non sunt, auctoratis publicae est supplere impares privatorum vires in re præsertim tanti momenti ad bonum commune, quanti est familiarum et coniugum condicio hominibus digna. Si enim familiis, iis in primis quibus est copiosa proles, apta desunt domicilia; si laboris victusque acquirendi occasionem vir nancisci nequit; si ad quotidianos usus nisi exaggeratis pretiis res emi non possunt; si etiam paterfamilias haud exiguo domesticae rei documento, necessitate et onere premitur pecuniae proprio labore lucrandae; si eadem in ordinariis vel etiam extraordinariis maternitatis laboribus, convenienti victu, medicamentis, ope periti medici aliisque id genus caret: nemo non videt, si quidem coniuges animo deficiant, quam difficilis eis reddatur convictus dome-

sticus et mandatorum Dei observatio, præterea quantum discriminis securitati publicae et saluti vitaeque ipsius civilis societatis inde obvenire queat, si tales homines eo desperationis redigantur, ut, quum iam nihil habeant quod sibi timeant auferendum, multa se fortasse assecuturos sperare audeant ex reipublicae rerumque omnium perturbatione.

Quapropter qui curam rei publicae et boni communis habent, tales coniugum familiarumque necessitates negligere non possunt, quin grave civitati et bono communi nocumentum afferant; in legibus igitur ferendis et in publicis expensis statuendis huic Ecclesiae officio leges civiles favere possunt, si in praeceptis dandis rationem habeant eorum, quae lege divina et ecclesiastica statuta sunt, et poenis animadvertiscant in eos qui peccaverint. Nam non desunt qui, quod leges civitatis permittunt aut certe poenis non prosequuntur, id quoque aut sibi secundum moralem legem licere putent, aut, vel conscientia renitente, id opere exsequantur, quia nec Deum timeant nec ab hominum legibus quidquam sibi metuendum cernant; unde haud raro sibi ipsis et aliis bene multis pariunt ruinam ».

Nec vero civitatis iuribus et integratii, ex hac cum Ecclesia consociatione, quidquam aut periculi aut deminutionis accidet; inanis est enim et vana omnis eiusmodi suspicio et timor. Si cum sacra Ecclesiae potestate civilis auctoritas amice congruat — scripsit iam Leo XIII — magna utriusque necesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim amplificatur dignitas, et religione præeunte, nunquam erit non iustum imperium: alteri vero adiumenta tutelae et defensionis in publicum fidelium bonum suppeditantur.

« Atque ita, — litterae prosequuntur — ut recens clarumque exemplum afferamus, secundum rectum ordinem et secundum Christi legem id prorsus evenit, quod, in sollempni Conventione inter Sanctam Sedem et Italiae Regnum feliciter inita, etiam quod ad matrimonia attineret, pacifica quaedam compositio et amica actio statuta est, ut gloriosam decebat Italicae gentis historiam ac vetustas eius sacrasque memorias. Et sane, haec in

nam fragilitatem divinae gratiae auxiliis confirmet, quaeque sola est Ecclesia a Christo Domino instituta. Quapropter ad concordiam et amicitiam cum hac Christi Ecclesia ineundam firmandamque omnes, qui supremam civilem potestatem habent, vehementer in Domino hortamur, ut consociata utriusque potestatis opera et diligentia, immania propulsentur damna, quae, ex irruentibus in matrimonium et familiam procacibus libertatibus, tam Ecclesiae quam ipsi civili societati impendunt. Summopere enim gravissimo huic Ecclesiae officio leges civiles favere possunt, si in praeceptis dandis rationem habeant eorum, quae lege divina et ecclesiastica statuta sunt, et poenis animadvertiscant in eos qui peccaverint. Nam non desunt qui, quod leges civitatis permittunt aut certe poenis non prosequuntur, id quoque aut sibi secundum moralem legem licere putent, aut, vel conscientia renitente, id opere exsequantur, quia nec Deum timeant nec ab hominum legibus quidquam sibi metuendum cernant; unde haud raro sibi ipsis et aliis bene multis pariunt ruinam ».

Nec vero civitatis iuribus et integratii, ex hac cum Ecclesia consociatione, quidquam aut periculi aut deminutionis accidet; inanis est enim et vana omnis eiusmodi suspicio et timor. Si cum sacra Ecclesiae potestate civilis auctoritas amice congruat — scripsit iam Leo XIII — magna utriusque necesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim amplificatur dignitas, et religione præeunte, nunquam erit non iustum imperium: alteri vero adiumenta tutelae et defensionis in publicum fidelium bonum suppeditantur.

« Atque ita, — litterae prosequuntur — ut recens clarumque exemplum afferamus, secundum rectum ordinem et secundum Christi legem id prorsus evenit, quod, in sollempni Conventione inter Sanctam Sedem et Italiae Regnum feliciter inita, etiam quod ad matrimonia attineret, pacifica quaedam compositio et amica actio statuta est, ut gloriosam decebat Italicae gentis historiam ac vetustas eius sacrasque memorias. Et sane, haec in

Lateranensis Pactionibus decreta leguntur:

“ Civitas Italica, matrimonii instituto, quod est familiae fundamentum, eam dignitatem restituere volens, quae populi sui traditionibus congruat, Sacramento matrimonii, quod iure canonico regitur, effectus civiles agnoscat ”; cui normae ac fundamento ulteriora dein sociatae conventionis capita adiecta sunt. Ea res omnibus exemplo esse potest et argumento, hac etiam nostra aetate (qua, pro dolor, civilis auctoritatis plenissima ab Ecclesia, immo vero ab omni religione separata tam saepe praedicatur), posse alteram supremam potestatem cum altera sine ullo alterius iurum summaeque potestatis detimento, mutua concordia et amico foedere, ad commune societas utriusque bonum, coniungi et sociari, curamque de matrimonio ab utraque potestate haberi posse communem, qua perniciosa pericula, immo vero ruina iam imminens a coniugiis christianis procul arcantur ».

Epistola encyclica concluditur Episcopis committens, ut quae omnia, de argomento lata in ea sunt, ea inter populos universos large evulgentur atque illustrentur, ut sanam de matrimonio doctrinam omnes plene noscant itemque pericula ab errorum praeconibus parata sedulo caveant.

ANNALES

Viva Pii Pp. XI vox per universum orbem audita.

Guilelmus Marconi, celeberrimus ille radiophonicae doctrinæ magister, die XII mens. Februarii MCMXXXI novam stationem in Vaticana arce a se collocatam Summo Pontifici tradens, iure meritoque affirmare potuit per saecula viginti Pontificem Romanum divini magisterii sui verba per omnes gentes quidem diffusisse;

nunquam vero factum antea esse, ut viva eius vox simul atque una per universum terrae orbem percipi posset; Dei vero auxilio, qui tot arcanas naturae vires in hominum potestatem dimittit, sibi machinam perficere licuisse, per quam fidelibus toto orbe diffusis deliciae afferrentur paternam ipsam vocem audiendi.

Re quidem vera per Patrem sanctissimum, Christi Vicarium, apprime tunc audierunt caeli quae loquutus est, audivit terra verba oris eius, audierunt omnes gentes auribusque percepere omnes qui habitant orbem, simul in unum dives et pauper; audierunt insulae et attenderunt populi de longe... Fuit imprimis gloria in altissimis Deo a Pio Pp. XI elata, et in terra pax invocata hominibus bona voluntatis; fuerunt deinde paternae adhortationes ad catholicos, ad hierarchias, ad religiosas congregations, ad strenuos Christi milites evangelicae doctrinæ praecones, ad fideles universos simul et infideles, ad eos qui presunt et qui subdunt, ad divites et pauperes, ad operarios et operum dantes, ad eos denique qui in infirmitatibus, et doloribus, in aerumnis et tribulationibus, maxime qui talia ab inimicis Dei et humanae consortionis paterentur. Super omnes divinam benedictionem Pontifex imploravit et apostolica auctoritate sua sollemniter impertivit.

O vere beatos qui huiusmodi eventus, unici profecto in historia, cuiusque nunquam memoria decidet, participes nobiscum fuere!

Terrestria.

Iamvero ab hisce sublimitatibus ad terrestria descendamus...

En in primus Hispania internis factiōnum dissensionibus agitata. Administrorum collegium, cui Berenguerus praeerat, a munere sese abdicavit; neque illi qui ei obstabant, novum sufficere valuere. Qui

igitur regiam fidem profitentur, rerum summam iterum recipiunt, sub ductu summi Hispanicae classis praefecto Aznar, et nova comitia ad diem xi proximi mensis Aprilis indicunt.

Meliora in Civitatibus Americae Meridionalis praefecto non accidunt. Uruguayanæ enim vehementer hinc inde agitatur; Peruviana in Sanchez Cerro praesidem nuper electum invehit, quamvis is aperte sit professus sese promptum ad potestatem sibi traditam restituendam, dummodo sit... qui eam fortiter servare queat.

Moerere in Europa debemus, *vitam Zog, Albaniæ regis, nefarie petitam in Austria*, quo ille se contulerat ad valetudinem suam curandam. Scelestæ trium iuvenum, patriæ extorrum, manus facinus pertentavit, a quo si rex incolumis evasit, non ita de altero a comitibus suis et de regiae aulae administro factum est; quorum ille est occisus, hic vulneribus affectus.

In India, Gandhi, civilis seditionis princeps, cum viro Anglii regis vices gerente multa habuit colloquia, a quibus sperandum est fore ut tandem pax sequatur.

Conventio certe inter Italiam et Galliam intercessit, per quam navale notum discrimen solutum est, auctoribus præsertim Enderson et Alexander, Anglicis administris, qui ad rem Lutetiam Parisiorum primum, ac deinde Romam petivere. Per hanc conventionem navale foedus, quod iam inter Angliam, Iaponiam et Septentrionalis Americae Civitates sanctum fuerat, ad Galliam quoque et Italianam proutum est.

POPULICOLA.

Arbor per se infrugifera, tamen insitione dicit ferre fructus: ita pravum ingenium institutione ad bonam frugem potest permutari.

PLINIUS.

VARIA

Carolus VIII Florentiam ingrediatur.¹

Carolus, qui antequam a Gallia proficeretur, tametsi Florentinis ostendisset, se per eorum fines iter Neapolim esse facturum, per Flaminiam tamen ire constituerat, ob eamque rem exercitus sui partem eo miserat, tum Laurentii Medicei florentini civis suasu, qui cum Petro Mediceo propinquo suo, cuius erat in potestate civitas, magnas atque acerbas similitates exercebat, tum Ludovici, qui eumdem Petrum, quod is uxore ex Ursina gente ducta in eorum atque Alphonsi partes se traduxerat, ingenti odio prosequebatur, ire Florentiam decrevit. Ea res Florentiam perlata, civitatem ad novum atque subitum capiendum consilium perpulit. Rex post haec Placentia profectus, dextra se per Tari fluminis vallem flectens, ad Apuanos, in Appennini radicibus municipium, Legatos Florentinorum obvios habuit, quos ad regem civitas, ut cum eo agerent, ne inimico ad sese animo accederet, misit. Eius legationis Petrus Mediceus princeps fuit, Isquum regem a se alienatum Laurentii et Ludovici opera compresisset, omnibus illum conditionibus lenire, benevolumque sibi reddere est aggressus: itaque tria civitatis oppida in Apennini iugis, quae Genuensium antea fuerant, tum Pisas eiusque portum et arcem munitissimam in praesentia regi tradere, certasque quotannis, quoad his in Italia esset, pecunias tributi nomine, atque equitatum pollicitus, cum illo in amicitiam rediit. Quibus intellectis rebus civitas incitata, illum et Ioan-

nem et Julianum eius fratres urbe finibusque suis expulit, domo eorum direpta, bonisque fisco addictis.

* * *

Accipitrum pax.

Accipitres olim inter se acerrime belligerabant: hos columbae in gratiam reducere et a dimicazione mutuisque caedibus abducere conatae, perfecere ut pacem illi inter se facerent. Qua firmata, tam in columbas quam reliquas minutus aviculas vim et ungulas suas converterunt.

Fabula docet utiles esse saluti bonorum malorum discordias.

* * *

Culex et Apes.

Brumæ frigore, et fame laborans culex, ab apibus petiti intra ipsarum alvearia recipi ut caloris et cibi particeps fieret; ob quod meritum se illarum filios canendi artem edoceretur esse pollicebatur. Tum una de examine: Nihil — inquit — tua est arte opus liberis nostris; qui a nobis artem multo meliorem et magis salutarem discere poterunt.

Monet fabula, ita instituendos liberos, et eiusmodi artibus instruendos, ut sua opera ipsi victum sibi querere sciant.

* * *

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO

Puls ex *Lycopersicis esculentis cum pisis.*

Tractorum quasilli vitulinis glandiis repleti.

Salivi cardui vaporati, cum perna.

Pipiones ad craticulam assi; acetaria.

Ananas bromelia in cremum conversa.

* * *

locosa.

Tuccius in schola.

MAGISTER: — Quaenam animantia ovina nuncupantur?

Tuccius: — Qui parva ova pariunt.

Inter amicos:

— Per telephoni novum genus nuper perfectum loqui igitur fas erit absque filis omnino.

— Omnino?..: Impossibile quidem; manebit enim semper filum... orationis!

* * *

Aenigmata.

(a socio THOMA GARRIDO proposita).

I.

Si ingemes primam, Gallorum flumen habet:
[bis:
arva secunda colit;
fessaque, sub toto captans et frigora et umbras,
membra relaxat herus.

II.

Rem omnino puram præbent extrema; secunda
tertia colla iugo
submittit patiens, renuitve superba domari
inter et astra micat.
Totum autem flumen, prostratis nobile Poënis,
musa latina canit.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Fax, Faex* — 2) *Sena-tus*.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreon.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIIS POLYGLOTTIS VATICANIS

¹ EX PETRI BEMBI Historia Veneta.

AD SEPULCRUM [9¹

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA



CIV. III. At vidi oculis meis
Patrem quem mortuum nuper dolue-

[ram,
Mihique dixit Redemptorem Israël,
Tot in Calvario cessit qui luctibus,
Deum Deique filium credendum om-

[nibus!

CIV. II. Atque ego Patrem mox vidisse
[fateor,
Item dixisse, et multos viros mortuos
Ei, quem nostris pleximus mox ma-

[nibus,

Fuisse, gratia decoris, obvios.
Et ipse nuper mortuus qui Pontifex
Viris Synedrii territans adparuit,
Eosque verbis plurimis admonuit;

Ut multa admissa poenitentia luet!

CIV. I. Quae nos malorum congeries obtinet!
Fuit magister venit qui de Nazareth,
Magnus doctrina, maior et miraculis!
Quis alter fecit ipse quae prodigia?

Aegris salutem, caecis et restituit
Visum, vocavit e sepulcro mortuos,

Suorum multas expulit molestias...

ANN. Cur ipse se poni, ductus superbia,

Ut olim Lucifer in caelis dicitur?

In solium Dei, Deumque praedicat?

CAIPH. Erat fabri filius Nazareth notissimi...

CIV. I. Deum sed multa fecerat prodigia...

ANN. At nobis Moyses, Iudeorum legifer,

Crucis damnare imposuit, saxis ob-

[ruere,

Qui sibi honores tribuunt caelestium;

Nos obedimus legibus sanctissimis.

CAIPH. Sic omnes perant leges qui vul-

[rant! ²

SCENA XII.

PILATUS et DICTI.

ANN. Adest Pilatus qui tulit sententiam!

CAIPH. Quibus est spiritus motus angoribus!

ANN. Ab illa die territant phantasmata...

Nullum dederunt pectori solatium.³

PIL. (solus) Erat mox omnis Israëlis civitas.

Ita cur occurrunt huc, cito, trepidant?

Quae pectoris cura? Magnum myste-

[rium!

Ad aures novitas pervenit omnium,

Iesum, quem nuper in sepulcro clau-

[simus,

Meoque tutius resignavi annulo,

Exisse vivum, dirupisse et vincula,

Utpote fortis experrectus somnio.

In uno video centum prodigia.

At modo restant in sepulcro spolia...

Haec ipse scribam breviter Tyberio.

SCENA XIII.

SATANAS et DICTUS.

SAT. Quis es? Quid audes? Scribes ad Tybe-

[rium?

Fuisse, scribe, fortem, inflexiblem,

Et damnavisse prae timore innoxium!

Te scribe potius fallacem, fedifragum,

Totumque Scribis, populo mancipium...

PIL. Qui me sic incusas? Quis es?

SAT. Quid interest?

Magnum commisisti, scito, flagitium,

Ro naque indignum, superesse crimina,

Quotquot fuere scelestiorum antea,

Et in futurum!

PIL. Pressus sed clamoribus

Feci...

(Ad proximum numerum).

Exeunt.

¹ Cfr. fasc. mens. Octobris MCMXXX.

² Gives exuent.